91: 303 2/43

Duce ac Præſide ſolo Deo Triuno,

Ex

DECRETO ET AUTHORITATE

GRATIOSISSIMÆ AC SPLENDIDISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

IN ILLUSTRI ACADEMIA

MARPURGENSI,

Hanc de

CONTAGIO PESTILENTIALI

DISPUTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM,

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA honores & privilegia DOCTORALIA legitimè & ſolenniter amplectendi,

Publico ac placido

Magnifici atque Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI examini ſubjiciet

In Auguſto ad Lanum Auditorio,

ad diem 22. Februarii.

JOHANNES GERHARDUS WINTHER,

CATTO FRITZLARIENSIS.

Duplicate

MARPURGI CATTORUM

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno MDCLXXVII.

SERENISSIMO, CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO,
HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIÆ,
COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ,
ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET
SCHAUMBURGI, &c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ GLORIOSISSIMO
ET
PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM MEDICAM IN HUMILLIMÆ SUBJECTIONIS MONUMENTUM, ET DEVOTISSIMAM STUDIORUM SUORUM COMMENDATIONEM, DEVOTISSIME CONSECRAT ET SUBMISSISSIME OFFERT,

SERENIT. SUÆ

DEVOTISSIMUS CLIENS,
JOH. GERHARD. WINTHER.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

In nomine SS. Triados.

Quamvis varii morbi malignitatis ſuæ ſpicula fraudulenter vibrando, proximo cuique exitium minentur, quales ſunt omnes febres malignæ, elephantiaſis, dyſenteria &c. ſola tamen peſtis κατ' ἐξοχὴν *odioſo funeſtoq;* contagii *nomine omnibus ſeculis infamis fuit; quod ſcitè his verſibus exprimit Naſo lib. 7. metamorph.*

Quò propior quisque eſt, ſervitque fideliùs ægro,
In partem lethi citiùs venit, atque ſalutis
Spes abiit, finemque vident in funere morbi.

Et quis vel ad nudum peſtis fatale nuntium non contremiſcat? Expertus veritatem triti: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Nunquam enim & nusquam tuta ejus fides eſt, neque ſub dio, neque ſub tecto ſecuritatem promittit, ſiquidem ſagitta ejus volat per diem, in caligine ambulat & vaſtat meridie: ſic

Dira per incautum ſerpunt contagia vulgus. Et hoc contagium peſtilentiale *thema eſto, cujus naturam cum prophylaxeos ratione nunc Diſputationis Inauguralis loco ruditer adumbrare conabor. Quod, ut decenter atq; feliciter fiat, Te ſupplex oro, benigniſſime luminum Pater, ut in mentis meæ tenebras ſapientiæ radios ex alto largiſſimè diffundere, cæptisq; meis ita benedicere velis, quò cedant in tui magni Nominis gloriam, proximi & propriam ſalutem: Tu verò candide Lector, æqui boniq; conſule, & conatibus hiſce fave.*

THESIS I.

PRoſcripto in limine omni dubio, à veteribus quibusdam Theologis & Medicis moto, de contagii peſtilentialis exiſtentia, tanquam triſti omnium ſeculorum experientiâ ſat ſuperq; firmatâ; rem ipſam aggredior, ea tamen, quæ circa nominis hujus explicationem notanda veniunt, ne turpiter diſputationem hanc inſtituiſſe videar, præmittendo.

II. Dicitur ergò contagium ab antiquo verbo contago, vel à contactu ſeu contingendo, quaſi dicatur plures ſimul tangens; unde ſtatim colligitur, omne contagium fieri per contactum, qualis verò ille ſit, ſuo loco dicetur: Additur peſtilentiale, ut diſtinguatur ab aliis morbis malignis; quod fatale epitheton ab ipſa peſte ſortitur, vel ſubjectivè, quòd omni peſti adſit, vel effectivè, quòd peſtis ejus funeſtum productum ſit.

III. Ut verò hoc nomen ab omnibus homonymiæ & ambiguitatis tricis expediam: Excludo *(1)* omnes ejus ſignificationes improprias, metonymicas ac metaphoricas, quas extra hoc forum obtinet. (2) Excludo eam ſignificationem, quâ tribuitur ipſi morbo contagioſo, quatenus peſtis, ut maximè contagioſa, haud rarò *κατ' ἐξοχὴν* ſimpliciter contagii nomine indigitatur.

IV. Præterea contagium heic non conſidero quoad primam ejus originem, naſcendique modum; quâ nimirum ratione indefinitæ particulæ ſalinæ in abditiſſimis telluris meaculis abraſæ, varioq; motu à materia quadam ætherea celerrimè cuncta corpora pervadente, agitatæ, perque multifarium occurſum & mutuam alliſionem mirandam metaſchematoſin ſubeuntes, tot diverſiſſimas figuras induant, in quot vel ipſe Proteus ſeſe transformare non valeat, indeque ſummam volatilitatem nactæ, in ſpiritus acerrimos, potentialiter cauſticos ac ſummè deleterios eleventur: quo inſuper modo ex cryptis & terræ hiatibus, ſtagnis mephiticis, aliiſque rebus ſeptici illi ſpiritus effluentes in aëra lethale toxicum funeſto planè ſucceſſu diffundant, quo inſpirato arcem vitæ peregrino præſidio muniri neceſſe eſt; ſive ex intimis terræ viſceribus ſuperficiem versùs acti, fruges, olera, arborum fructus, aliaq; ad ſuſtentandam vitam neceſſaria,

ria, virulentiâ ſuâ inficiant, atque uredine tangant, quam demum ſterilitas, hanc fames, hanc autem peſtis inevitabili neceſſitate excipit: unde tritum illud Græcorum: μετὰ λιμὸν λοιμός. Sed inquiro hîc in contagium juxta propagationem ejus ab uno corpore infecto in aliud, tanquam per traducem ſeminarii illius exotici atq; venenati.

V. Putamine hoc effracto nucleum deguſtare licebit, ſi quidditatem rei per definitionem nunc profundiùs rimari ſatagamus. Definit autem contagium Cl. Willis cap. XII. de febr. per vim, ſive actionem, quâ affectus quispiam reſidens in uno corpore ſui ſimilem excitat in alio. Eodem ferè modo deſcribit illud Cl. Diemerbrœck. de peſt. lib. 1. c. 10. Quorum definitiones, ſuâ quamvis laude conſtent, paululùm tamen, ut debitô generaliores reſtringo, & dico: *Contagium peſtilentiale eſt actio, quâ corpus peſte infectum per effluvia virulenta in alio corpore diſpoſito, mediante motu fermentativo, eundem affectum producit.*

VI. Generis loco actionem pono: verùm enim verò cùm omnis actio fiat per contactum, ut Ariſtoteles de generat. & corrupt. lib. 1. c. 6. t. 43. docet, priùs quædam de contactu, qualis inter corpus infectum & inficiendum, ut contagium contrahi poſſit, intercedat, dicenda videntur. Diſtinguunt contactum Peripatetici, in virtualem, [veriùs contactum rationis vocarent] quo unum corpus remotum in aliud remotum ſuâ virtute agit; ita corpora cœleſtia in ſublunaria agere putantur: & corporalem, quem inter corpora diverſas magnitudines habentia eſſe dicunt, quorum extrema ſunt ſimul: Illo, qui accidens ponit ſine ſubjecto, tanquam inani rationis figmento exploſo; hunc diſtinguimus in immediatum, cùm inter duorum vel plurium corporum extremitates nullum intercedit ſenſibile medium; ut ſi quis in eodem lecto alii peſte correpto accumbens eandem labem contrahat; de quo quidem nullum ſupereſt dubium: Et mediatum, quo unum corpus in aliud agit per medium ad diſtans; ut ſi quis lue venenatâ infectus in alium à ſe valde remotum labem transferat, vel ſi ab una domo in alias diſſitas contagio proſerpat, vel etiam ſi quispiam poſt aliquot dies, menſes vel etiam annos à ſuppellectili è domo infecta petito inficiatur: quod ut altiùs cognoſcamus, rem ab ovo juxta definitionis differentiam repetemus, expendendo, conta-

gii [1] cauſam, ſeu quo mediante infectio fiat. [2] Quomodò illa cauſa transferatur per medium in diſtans. [3] Ejus operandi modum. [4] Quæ requiratur in corpore inficiendo ad concipiendam labem diſpoſitio. [5] Præcipua quædam phænomena, contagii producta.

VII. Verùm dum hoc molior, ingens ſe ſe offert circa hæc quæſita opinionum labyrinthus, quem ut feliciter evadam, pauca & præcipua ſaltem ſententiarum momenta breviſſimè in anteceſſum expendam, & quantum veritatis ſingula contineant, paucis definiam.

VIII. Peſtilentiale contagium animatum primus omnium excogitavit indefeſſus ille naturæ ſcrutator Athanaſius Kircherus Pater Jeſuita Romanus, in ſuo ſcrutinio Phyſico-Medico contagioſæ luis, monſtratque, peſtis propagatricem eſſe exitialem quandam ac diram minutiſſimorum, omnem ſenſus captum eludentium, nec non niſi exquiſitiſſimo microſcopio ſub viſum cadentium vermiculorum, quos atomos diceres, fœturam, quæ, illo ſic opinante, per omnes corporis infecti meatus poroſque facilè unà cum halitibus & ſudoribus extruſa, aut è cadaveribus mox in tabum diffluentibus evaporata, ſubitò in circumſitum aëra ſe diffundat, cujus leviſſimo flatu non ſecùs ac atomi intra radiolam ſolis projecturam in obſcuro loco factam, agitata & humido aëris ſucco maritata, mox novam lethiferam ſub computum non cadentem ſobolem progignat, quæ per omnem aëris regionem ſe expandat, illum contaminet, & quodcunque poroſum adoriatur, eidem tenaciſſimè, olei inſtar adhæreat, intra intimos rerum poros altiùs inſinuata: unde per contactum ſive mediatum, ſive immediatum intra corpus admiſſa, tragicas œconomiæ microcoſmicæ cataſtrophas moliatur dira hæc inviſibilium beſtiolarum progenies. Et hunc proceſſum probare nititur ſequentibus potiſſimùm rationibus. (1) quia omne putridum reſolvatur in vermes. (2) Αὐτοψία, quâ talem dirorum animalculorum numeroſam fœturam non ſolùm in bubonibus & carbunculis, ſed etiam in aëre volitantem oculus armatus deprehendat. Sanè ingenioſiſſimum inventum! ſed quantum veritatis habeat, facilè judicabit æquus lector, ſi perpendat, Authorem (1) ſupponere, omnem peſtem primos ſuos natales debere corruptioni & putredini, quod falſum eſſe doctiſſimè demonſtrat Cl. Diemerbr. de peſte l.1.c.8. probl.4. & c.10. annot.3. & Sennertus lib.

6. prax.

6.prax,part.3.c.3. (2) illum ponere contagii productum, nempe ex putredine à venenata lue inducta, vermium in bubonibus & anthracibus oriundam eluviem, pro ejus cauſa. (3) Autopſiam ejus eſſe ſubleſtæ fidei, nam minimorum in aëris regione volitantium corpuſculorum venenatorum copias pro inſenſibilium vermiculorum congerie, fallaci microſcopio ſine dubio deluſus, habuit.

IX. Alii ex primarum qualitatum ita vulgo dictarum intemperie contagii cauſam & inde producta phænomena ſat ineptè deducere ſatagunt, quos verò temeritatis crimine jam dudum notavit Fernelius libb. duob. de abdit. rerum cauſis. Alii, qui occultarum qualitatum idolo libant, neſcio, ad quæ ſacra deſperationis adyta confugientes, hanc rem inſtar diis ſacræ virginis tenebrarum peplo obvelant, cauſamque in venenum ſpecificâ quâdam & peculiari vi naturæ contrarium, totiusque generis & ſubſtantiæ diſſidio in humanum corpus agens, conjiciunt. Nos excuſsâ omni voluntariâ mentis caligine, quantum luminis noſtra fundamenta huic negotio affulgere queant, in ſeqq. videbimus.

X. Antè verò, quàm cauſam contagii indagem; noto (1) quoad corporis noſtri geneſin, illius, præprimis verò ſanguinis & ſucci nervoſi compagem ex innumeris inſenſibilibus particulis juxta ideam & characterem auræ ſeminali ſive Archeo, ejus fabricatori impreſſam confluxiſſe; has verò particulas juxta omnes ſuas extremitates ſe invicem adeò arctâ contiguitate non complecti, quò minùs ob diverſiſſimam earum magnitudinem, figuram & ſitum numeroſiſſima relinquantur intervalla, quæ cuniculorum inſtar in longum producta, corporis poros vocamus. Noto 2. Partium corporis noſtri cùm ſolidarum, tùm præprimis fluidarum particulas conſtitutivas maximè heterogeneas & diverſiſſimæ indolis, legitimâ proportione miſtas, Archeo moderatore, in continuo & æquabili naturaliter verſari motu fermentativo; harum autem particulas ſibi invicem variè occurſando & allidendo, tandem ita contemperari, ut in juſtæ conſiſtentiæ maſſam fibroſam atque balſamicam, nutriendis partibus ſolidioribus ſatis aptam cedant; hanc verò, ſi quid exoticum, heterogeneum & non miſcibile ei confundatur, ſtatim præter modum & naturam ebullire & efferveſcere, atque hunc orgaſmum modò majori, modò minori impetu abſolvi, attamen adeò tacitè finiri non poſſe, quin

denſiſſima effluviorum, ejusdem cum peregrino illo fermento naturæ & efficaciæ, nebula, partim per oris halitum, partim per patentia cutis oſtiola exhalet.

XI. Quibus præſuppoſitis, manifeſtum eſt à corpore peſtilentiali motu deflagrante ſimiliter numero indefinita minimorum corpuſculorum effluvia, veneni & malignitatis peſtilentialis indolem & energiam referentium effluvia excurrere, quæ pro activitatis ſuæ ſphæra ſeſe diffundentia circumcirca (ſunt verba Cl. Willisii) velut nebulam ſeu halonem conſtituunt, illudque inſtar lanuginis in pomo perſico quaſi veſtiunt: cujus rei inſtantiam præbent corpora, in quibus 🜍 præ aliis principiis evectum eſt; ambra, moſchus, flores roſarum &c. puriſſimarum particularum exſpirant effluvia cerebrum ſuaviſſimo odore perfundentia; econtrà cadavera putrida, aſa fœtida &c. nares teterrimo fœtore exhalationibus ſuis moleſtant.

XII. Has virulentorum effluviorum è corpore infecto procedentium particulas diræ luis propagatrices eſſe, non ſolùm noſter divinus Cous, aliique veteres tam Græci, quàm Latini ſcriptores agnovêre, μιάσματα, νοσερὰς ἀποκρίσεις, ἀποῤῥοίας καὶ σπέρματα, morbidas exſpirationes, effluvia, inquinamenta & contagii ſeminarium eas vocantes, verùm etiam hodiè inter Philoſophiæ & Medicinæ proceres adeò receptum eſt, ut nihil ſit ſuprà. At verò cujus ſint indolis & quo ritu tragædiam ordiantur & abſolvant, de eo non inter omnes convenit. Nos, cum pleraque triplicis regni venena intra corpus humanum admiſſa, eâdem, quâ toxicum peſtilens ferociâ cum horrendo ſymptomatum ſtipatu in œconomiam tam animalem, quàm vitalem debacchari videamus, nec poſſit ullum hujus aſſignari effectum, quod non ab aliquo ſaltem illorum producatur: nec etiam nova quædam veneni ſpecies pro inducenda peſte ab irata Dei dextra immediatè demittatur, ut contra Cl. Diemerbroëck ſolidè demonſtravit Illuſtris Willis; audacter affirmamus, particulas illas eſſe naturæ arſenicalis, ♁alis, ☿alis, ⊖-licæ, colocynthiatæ, aconitalis, napellinæ, aſpidalis &c. quod exemplis & magnorum virorum fidis obſervationibus, horum venenorum cum peſtifero toxico analogiam, ab effectis demonſtrantibus, ſi pagellarum anguſtia permitteret, facilè illuſtrari poſſet.

XIII. Nec fortè mirabitur quisquam, nos peſtilentia miaſmata prædi-

prædictorum venenorum indolem referre cum magnis quibusdam Medicis ſtatuere, ſi attendat, hæc venena ſub duplici reſpectu conſiderari debere; primò quatenus particulæ eorum activæ materiæ terreſtri, craſſæ & viſcidæ adhuc involutæ & quaſi incarceratæ, ἐνεργητικαὶ eſſe nequeunt: Deinde, quatenus omni terreſtreitatis vinculo rupto, à natura in libertatem vindicatæ, in miaſma vaporoſum ſe ſe expandunt & in ſpiritus ſummè volatiles, cauſticos & penetrantiſſimos exaltantur, qui veneni velut quinta eſſentia, quaquaverſus ob ſummam ſuam activitatem & ἐνέργειαν ἐλαστικὴν, longè potentiùs, quàm ∽us ✳ in vitro coërceri neſcius, ſe diffundentes, non modò in aëra, commune vitæ ducendæ pabulum, feraciſſima mortis ſemina ſpargunt, ſed etiam corpus noſtrum facili negotio penetrantes Archeum attonitum adoriuntur, fugant & proſternunt, quo pacto brevi divitem exitii ac mortis ſegetem ferunt. Et quid ni à natura illa venena ad tam ſublimem volatilitatis gradum exaltari poſſe credamus, ex quibus tamen vel ſimilibus arte planè diabolicâ, abominandâ & diris devovendâ ferè pluſquàm Circeâ virulentiâ referta medicamina non ſemel confeciſſe ex Orco prodeuntia monſtra, homines ſatanico verè ſpiritu turgidos, iisque non tantùm domos & urbes, ſed etiam integras regiones adeò contagioſiſſimâ peſte infeciſſe, ut tantæ mortis ſæpe nulla ſupereſſe viſa fuerint antidota, præcedentibus ſeculis Orientem & Romam, Nicephoro, Cedreno & Livio teſtibus, & hoc ſeculo Mediolanum & Italiam, ut ex actis Mediolanenſibus refert Kircherus, triſtiſſima experientia magiſtra docuit.

XIV. Ex hac vi diffuſiva liquet, quomodo exigua & ſub viſum non cadens miaſmatis peſtilentialis molecula corpori infixa, mox omnes ſpiritus & humores in peſtilentialem motum concitare ſufficiat: *Non neceſſe eſt, inſtar montis molem eſſe; Augentur* μιάσματα, *& vires acquirunt eundo. Ac ex uno homine infecto tantum inquinamenti exhalare poteſt, quantum pro mille inficiendis ſit ſatis*; ita ſcitè diſſerit magnus Crato *lib.6.epiſt.42.* Et cedro digna ſuper hac re ſunt verba VIRI Excellentiſſimi pariter ac Experientiſſimi Dn. Doctoris Waldſchmieds Medicinæ Profeſſ. Ord. Archiatri & practici celeberrimi, & h. t. Pro Rectoris hujus inclytæ Academiæ Magnifici, Promotoris & Præceptoris mei venerandi, in diſputatione ſua de theriaca cœleſti, pag. 9. 10. quibus cùm medicamentorum, tum venenorum

vim expanſivam luculenter & diſtinctè explicat; & multis inſtantiis ſatis egregiè illuſtrat; quorſum B. L. brevitatis ſtudioſus mitto.

XV. Antequàm verò ulteriùs progrediar, hîc notari velim, ſpirituum illorum cauſticorum peſtis propagatorum, naturæ ⊖no-arſenicalis &c. ἐνέργειαν præter motum, potiſſimùm fundari in diverſiſſima minimarum particularum, quibus conſtant, figurâ; prout enim varia ſalia variam figuram induunt, & quædam in pyramides, quædam verò in trigona, tetragona; hexagona, &c. efformantur, ita quoque peſtilentium miaſmatum particulæ ⊖ium prædictorum indolem referentes reſpectu illarum figurarum non tantùm ſunt acutæ, rigidæ, hamatæ &c. & hâc ratione vel pungentes vel ſcindentes vel lacerantes vel conſtringentes &c. ſed & diverſiſſimorum ſaporum, amari, ſalſi, acidi, acerbi, auſteri, pontici &c. quorum reſpectu miranda horrendaque in corpore humano phænomena producunt.

XVI. Contagium etiam in diſtans propagari ſuprà dictum eſt, quo ritu autem per medium tranſeat, heic dicendum reſtat. Igitur miaſmata à corpore infecto emanantia non ut alia effluvia tenues evaneſcunt in auras, aut intra aëris, corporumve quibus impingunt, poros quieſcunt aut diſpereunt, ſed vario motu agitata cum minimis aëris moleculis, aliisque intra poros ejus volitantibus, quibus occurſant, particulis è veſtigio hoſtiles quaſi conſerunt manus, easque fermento ſuo exotico & maligno inſpiratas in eandem motûs analogiam rapiunt, denique ſub jugum redactas ſecum captivas abducunt; quas inter varias corporum ἀτμοειδῶν confuſiones & alliſiones ipſa tamen ne quicquã de ſua virulentia perdunt, ſed ſarta tecta perſtant; quare hoc modo novo veluti conſcripto milite, longè latèque excurſus faciunt, copiasque augent eundo: unde corpus humanum diſpoſitum ſive per inſpirationem ſive per patula pororum oſtiola ſubeuntia hæc venenata corpuſcula, illud vel ſtatim fermento maligno inſpiratum in peſtilentialem orgaſmum cogunt, vel in poris ejus otioſa aliquandiu latent, donec levi occaſione in motum vindicata ingentes in microcoſmico regno turbas concitent: Aut veſtium, corii, lignorum aliusque idonei fomitis poris impacta, per plures ſæpe annos, quaſi pactis induciis, deliteſcunt, unde tamen, leviſſimo motu poſtmodùm irritata, rurſus copioſè, tanquam è latebris ſuis proſiliunt, novumque bellum, non niſi ingentibus hominum ſtragibus finiendum, majori,

quam

quàm antè cum ferocia miſeris mortalibus indicunt. Et hoc modo diræ luis ſemina ultra viginti annos feracia aſſervata & in regiones longè remotas ſæpe transportata eſſe, teſtes ſunt Ingraſſia, Campanella & alii: nec deſunt Authores, qui peſtem nunquam de novo oriri, ſed ſolummodò hoc ritu inter mortales ſupereſſe, & ſubinde ex unâ regione in aliam deferri, autumant.

XVII. Quòd verò non in omnia corpora humana æquali atrocitate debacchentur hæc virulenta contagii ſpicula, ſed quædam prorſus intacta relinquant, in alia autem majori vel minori ſymptomatum furore ſæviant, non omnibus æquè facilè eſt definire. Nos exautoratis occultis qualitatibus, rem ut clarè & diſtinctè explicemus, dicimus in corporibus inficiendis certam requiri diſpoſitionem, quâ ſine corpora non ſubire, multo minùs ἐνεργητικὰ eſſe poſſint contagioſa veneni miaſmata, & hanc in diverſo corporum temperamento fundari contendimus: ubi tamen (1) noto, nos temperamentum non in qualitatum primarum, ita vulgo dictarum, temperie, quod aliàs fieri ſolet, quærere, ſed potiùs in varia & diverſiſſima partium corporis, præprimis verò ſpirituum & humorum textura, craſi & motu, pororumque diversâ amplitudine & figurâ, ex diverſa minimorum corpuſculorum heterogeneorum magnitudine, figura, ſitu & motu reſultante. (2) Hoc temperamentum pro varia mutatione harum affectionum à cauſa qualibet externa, variè quoque immutari poſſe. Hinc (1) illi, quorum Archeus eſt fortis ac intrepidus, & ad concipiendam peſtis imaginem non proclivis, minori infectionis periculo ſunt expoſiti. (2) illi, quorum corpus eſt denſum, & ſanguis ob acidi præeminentiam conſtipatus, quales ſunt melancholici, non facilè à contagio tentantur, quòd miaſmata virulenta horum poros non facilè penetrant, aut ſicubi penetraverint, minimam tamen ipſis noxam inferunt; Acidum enim in maſſa ſanguinea dominans & fideliſſimè pro corporis œconomia excubias agens, ſpiritibus venenoſis alkalicis volatilibus ſeſe ſtrenuè opponendo, eorum tela feliciter hebetat & avertit; non ſecus ac quivis ⌒us acidi cum quovis alkali mixti immaniter ebulliunt, donec per diuturnam luctam ſpiculis eorum obtuſis, amicabile pacis fœdus feriant: Unde & ratio patet, quare durâ debacchante hyeme, quando aër particulis acidis luxuriat, multò minor ſit contagii ſævities, quàm æſtate, regnante Sirio. (3) Illi,

 quo-

quorum temperamentum à miaſmate peſtilente ſenſim ſenſimque ita eſt immutatum, ut pori humorum quoad figuram miaſmati venenato reſpondeant, & ſpiritus corporis cum ſpiritibus exoticis ſint quodammodo homogenei facti, plerumque à contagio immunes degunt: hinc veſpillones & vetulæ ægrorum miniſtræ, & illi, qui peſte correpti ſemel orci fauces effugerunt, experientiâ teſte, rarò inficiuntur, & ſi inficiantur, facilimè tamen evadunt.

XVIII. Econtrà illi, quorum Archeus eſt pavidus, à contagio non ſunt tuti: & quorum corpus ob alkali nimiam volatilitatem eſt nimis laxum, quales ſunt cholerici, omnium facillimè venenatam concipiunt labem; etenim ſanguinis particulæ ob nimis velocem & inordinatum motum plus juſtô diſſociatæ poros valdè laxos efformant, quibus, veluti portâ apertâ, hoſtem peregrinum in totius microcoſmici regni certò ſubſecuturam ruinam, intra corporis ſui mœnia recipiunt; inſuper alkali ſanguinis corpuſculorum virulentorum figuras facilè induens, in eandem cum ipſis motus analogiam conſentit, indeque inteſtinus hoſtis factum, in idem cum hoſte peregrino œconomiæ microcoſmicæ extremum exitium atque ruinam conſpirat. Similiter illi, quorum ſanguis copioſo ♀re aduſto aliisque impuritatibus ſcatet, rarò à contagio immunes vivunt, in quorum cenſu ſunt atrabilarii, mulieres gravidæ, puerperæ, virgines ob catameniorum ſuppreſſionem cachecticæ, &c. quorum maſſa ſanguinea ob continuam particularum immiſcibilium cum particulis ſanguinis efferveſcentiam inteſtino bello deflagrans, hoſtem exoticum incautè intromittit, pœnasque negligentiæ ſuæ atrociſſimas ſæpè luit. Ita Gordius ille nodus occultarum qualitatum fautoribus indiſſolubilis, ſolutu nobis non adeò difficilis fuit.

XIX. Hisce abſolutis, nunc modus, quo deleterii illi ſpiritus tragœdiam in corpore humano abſolvant, inqnirendus venit: Exoticus itaq; hoſtis quovis modo vel viâ corpus humanū ſubintrans, mox maſſæ ſanguineæ occupat poros, & vel aperto Marte omnes humores adoritur, fermento maligno inſpirat, omnesque eorum diverſæ indolis particulas in orgaſmum ciet; unde indignatus Archeus ſumma cum imis confundit, ingentesque in corpore turbas movet: vel occultâ & tacitâ quâdam fermentatione inſtitutâ, ſolo Archeo totius Monarchiæ microcoſmicæ moderatori, cruoris partibus intactis, terrorem

rorem incutit, quo dein ob conceptam peſtis imaginem in fugam verſo, ipſe cor, auræ vitalis arcem, occupatum fermenti peregrini præſidio munit, quod ibidem ſanguinem per venas influum, & à naturali cordis fermento ♀eo ⦶tro-aëreo inſpirari cupidum, duplici clade conficit: Etenim, aut inſigni acredine, ceu variâ telorum acie, illius fibrillas, inſtar brachiolorum extenſas, reſecat, diſſolvit & incidit, quibus amputatis ſpiritus cum particulis ſanguinis balſamicis, inſtar fumi ab igne tenues avolant in auras; hinc reliquus cruor in ichorem & vappam nutriendo corpori inutilem faceſſit: Aut deleteriâ aciditate pollens, omnes craſſiores ſanguinis particulas, quaſi hamulis inſtructus eſſet, fortiter conſtringit; unde cruor in partes ſecedens, vel ſtatim in ipſo corde, inſtar lactis acidiuſculi ad focum, coagulatur, vel ad circulandum ineptus, poſtmodùm intra anguſtos vaſorum anfractus congelatus putreſcit. Utrovis modo ſanguinis craſis pervertatur, immaniſſimorum & exitium conſummantium ſymptomatum Ilias emergit. Experimentum facturus, capiat duos canes, utrique venam grandiorem incidat, & unius venæ oleum ♀ri, alterius autem ⌒um ⊖li per ſiphunculum injiciat, quibus liquoribus vix cum ſanguine ad cor delatis, in utroque mox diverſiſſimorum ad mortem citò urgentium ſymptomatum tragœdiam videbit, cadaveribus apertis, illius ſanguinem in ichora fuſum, hujus autem in coagulum præcipitatum reperiet.

XX. Hoc modo rerum potitus virulentus Monarcha, exitiales regni microcoſmici cataſtrophas molitur: Cor quidem lethaliſſimis leipothymiis, angoribus, febribus & repentinis ſuffocationibus, quales in pleuritide maligna à cruoris in corde coagulatione ſæpe accidere videmus, opprimit: extra illud verò cum ſanguine excurſus faciens præcordia difficili reſpiratione infeſtat; in pulmonibus & lateribus defixus, lethales peripneumonias & pleuritides infert, ad inteſtina ruens, fœdiſſimis diarrhæis ac dyſenteriis alvum divexat; ad renes delatus diabetas, aliaque profluvia moleſtiſſima & maligna excitat; ad peripheriam excurrens, aut ſudoribus Anglicis corpus colliquat, aut cutem petechiis lividis, purpureis, nigris, aliusve coloris, exanthematibus, ecthymatibus, vibicibus, illis venenoſitatis ſtigmatis & irati Numinis criteriis, defœdat, aut vaſorum anguſtias obſidens, muſculos aliasque partes ſolidas & carnoſas arſenicali virulentiâ cau-

ſeriſando & mortificando, anthraces generat; & neſcio, quibus non ſymptomatum furiis vitalem œconomiam miſerrimè concutiat.

XXI. Ad cerebrum, ſacrum illud animæ Palladium, aſcendens truculentus hoſtis, in œconomia animali non minores concitat turbas; ſiquidem ſucci nervorum craſin & mixtionem æquabilem pervertendo, modò ſpiritus animales ⊖-licâ virulentiâ figit & congelat, eorumque exploſionem æquabilem, haud ſecus ac pulveris pyrii vis exploſiva à ⊖-lo commixto extinguitur, in momento ſiſtit, unde apoplexiæ, catalepſes, paralyſes aliique affectus ſoporoſi ſubitò oboriuntur: modò miaſmate ⦶tro-♀reo, arſenicali &c. eosdem inficiendo, in impetuoſam exploſionem & furorem cogit, nervorumque tenerrimas fibrillas ſauciat, indeque ſpaſmos, phrenitides, manias, immoderatas vigilias &c. inducit: modò cum ſucco nervoſo præcordia petens ventriculo noxam communicat; unde immanes cardialgiæ, ſingultus, nauſea, vomitus, aliaque mala eundem excruciant: modò in adenas (qui juxta Cl. Whartoni doctrinam liquoris nervoſi circulationi inſerviunt) toxicum deponit, eosdemque in altos & periculoſos parotidum vel bubonum tumores attollit. Hæc & ſimilia atrociſſimorum ſymptomatum phænomena contagionis effecta, non niſi à particulis ſcindentibus, pungentibus, aliisque valdè incongruis, & à figuris pororum ſanguinis & nervoſi liquoris maximè diſcrepantibus, tam ſubitò induci poſſe, quis non, niſi cœcus, videt?

XXII. Quoniam verò perverſam truculenti hoſtis indolem noſſe, ejusque ſtratagemata habere perſpecta, non ſufficit, verùm ejus molimina prudenti conſilio intercipere, & lethalia tela idoneis armis avertere, hoc opus, hic labor! Ideò expoſitâ theoriâ, nunc quædam de prophylaxeos ratione breviter ſubjungam, quippe tutius eſt hoſtem imminentem arcere, quàm intra mœnia admiſſum rurſus expellere. Pro duplici autem circa præſervationem occurrente indicatione generali, etiam duplex oritur prophylaxis; publica & privata: Illa eſt vel Theologica, quæ officium antiſtitum Eccleſiæ, vel politica, quæ Magiſtratûs munus concernit; quam verò, quia tantùm de contagio in ſpecie verba fecimus, ad inſtitutum noſtrum non pertinere judicamus: Hæc verò eſt medica, & quemlibet, cui ſanitas eſt cordi, in ſpecie ſui officii admonet, de qua in ſeqq. acturi ſumus.

XXIII. Cùm

XXIII. Cùm verò juxta immutabiles naturæ leges, à magno Philoſopho Carteſio princip. Philoſ. part. 2. §. 37. & 40. notatas, unaquæque res, quatenus eſt ſimplex & indiviſa, maneat, quantum in ſe eſt in eodem ſemper ſtatu, nec unquam mutetur, niſi à cauſis externis potentioribus; & omne corpus, quod movetur & alteri occurrit, ſi hoc majorem habeat vim ad reſiſtendum, quàm illud ad pergendum ſecundum lineam rectam, deflectatur in aliam partem, & motus ſui determinationem amittat: duabus indicationibus in his legibus fundatis privatæ prophylaxeos rationem comprehendimus: (1) Venenatorum ſpiculorum vis & acies, quantum poſſibile, eſt infringenda. (2) Corpus adverſùs petulcum eorundem inſultum valido præſidio convenienter eſt præmuniendum. His indicationibus autem ſatisfiet auxiliis ex triplici fonte, diætetico, chirurgico & pharmaceutico petitis; unde quid præſidii adverſùs tam truculentum hoſtem quisque ſuppeditare queat, ordine nunc videbimus.

XXIV. Diæta reſpicit ſex res non naturales, quas inter præ cæteris maximi ſunt momenti, aër & animi pathemata; de cæteris obſervetur divini Senis præceptum; labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia ſint mediocria. Ad evitandum aërem pollutum tutiſſimum ſunt remedium, tria illa adverbia, *citò, longè, tardè*; juxta vulgare diſtichon:

Hæc tria tabificam tollunt adverbia peſtem,
Mox, longè, tardè. cede, recede, redi.

Verùm, quia non cuilibet extra urbem abeundi, licentia conceſſa eſt; igitur quibus præſidiis illi, quibus manendi neceſſitas incumbit, ſe, quantum poſſibile, præſervare queant, paucis expediam,

XXV. Aer itaque peſtilentiali miaſmate pollutus, corrigatur ſuffumigiis 🜍reis accenſis, qualia ſunt præter 🜍 minerale fixum, juniperus, benzoinum, ambra, moſchus, galbanum, ſuccinum opopanax, myrrha, pix, ladanum, ſtorax, camphora laudatiſſimum contra contagium remedium, cornua & ungulæ quorundam animalium &c. Quàm miranda enim ſit 🜍ris purificandi aëra peſtilentem vis, præter ipſius Hippocratis, illud propterea τὸ θεῖον vocantis, & aliorum magnorum Medicorum authoritatem & experientiam, & ratio ſuadet: Siquidem conſtat 🜍 & omnia 🜍rea ſcatere particulis oleoſis, quæ, vi ignis à reliquis corpuſculis divortium paſſæ, undique cum

particulis veneni rigidis per aëris regionem circumvolitant, & quia ariſtarum inſtar multis à natura ſunt dotatæ ramuſculis, has in occurſu inviſcant, & in adeò pertinaci captivitate detinent, ut poſthac nunquam ſui juris fieri, multo minùs nocere poſſint: ſicut exigua ariſtarum fragmenta pannis impacta, vel oleum iisdem infuſum etiam ſummâ adhibitâ diligentiâ vix ac ne vix quidem expurgari poſſe videmus. Pulvis tormentarius accenſus, præterquam quòd violentâ aëris commotione, miaſmata peſtilentia è poris ejus exturbet & diſpellat, etiam præcipuè ratione particularum ⊕trosarum, quæ ſpiculis peſtilentialibus intra aëris poros alliſæ, eorum cuſpides, non ſecus ac duæ ſagittæ in linea recta ſibi occurſantes ſuas cuſpides mutuò infringunt, obtundunt, aërem egregiè corrigit. Hinc etiam habitatio verſus aquilonem, ob copioſas particulas ⊕troſas & acidas à Borea advectas, à Medicis maximè commendatur. De reliquis aërem corrigendi modis conſulantur Autores. Inter animi pathemata, velut altera peſtis, vitentur ira, terror & triſtitia: ſiquidem ira ſpiritus in motum perverſum cogendo, omnibus humoribus inteſtinum bellum infert, qui deinde minùs fideliter excubias agentes, externo hoſti corporis repagula facilè laxant. Terror autem & triſtitia, Pigræo peſtis pabulum dicta, ſpiritus in extima corporis ſtatione conſiſtentes, verſus cor, vitæ arcem, retrahendo, venenata ſpicula cutis poris leviter infixa, velut à ſumma vorticis ora, ſimul intra corporis penetralia cum impetu rapiunt, cordique infigunt. Quare hilaris & intrepidus animus, vel ut magnus Helmontius loquitur, vino & confidentiâ fortificare Archeum, optima ſæpe contra contagium eſt antidotus.

XXVI. Inter chirurgica præſervationis præſidia præcipuè recenſeri ſolent V.S. & cauteria. Venæ ſectionem, niſi maxima eam in conſuetis indicet plethora ad vaſa, aut conſueta hæmorrhagia ſuppreſſa, aliudve indicans fortiſſimum, contradicente licèt Quercetano, cum Nob. Diemerbroeck tanquam periculoſiſſimam & damnoſiſſimam rejicimus. Nunquam in vera peſte eâ uſum fuiſſe Hippocratem, conſtat ex 1. epid. hiſt. Crit. & in aliis peſtilentialibus morbis à ſe tentatam non profuiſſe ipſe teſtatur, 6. epid. ſect. 6. t. 1. & Galenus eam non tantùm expreſsè vetat, lib. 4. de tuend. ſanit. c. 4. ſed & laudat illos Medicos, qui in peſte pauciſſimè auſi fuerunt ſanguinem mittere, lib. de cib. bon. & mal. ſucci c. 1. Et multos graſſante peſte No-

vio-

viomagenſi aliorum malo hac in re cautiores factos eſſe, teſtis eſt prædictus Diemerbr. lib. 4. in hiſt. Cui ſententiæ etiam ſubſcribunt Cardanus, Heurnius, Fernelius, Riverius, Liddelius & alii magni nominis Medici. Nec ratio nos deficit, etenim ſanguinis parte per phlebotomiam detractâ, reliquus cruor in vaſis magis magisque dilatatur, unde poris laxatis, reſiſtere non valens, quicquid virulentorum miaſmatum in corpus fertur, aut in ejus ambitu hæret, promptè ceu apertis foribus, intra ſinum ſuum excipit. Melioris notæ ad præſervationem eſſe cauteria, & ab iis excitatos fonticulos multorum inſignium Practicorum fidis obſervationibus conſtat: Neminem eorum, qui fonticulos in brachiis aut cruribus habebant, præter unum aut alterum ſummè cacochymum, in maxima Lauſaniæ peſte obiiſſe, ac proinde præſentaneum eſſe præſervativum, tùm in aliis, tùm in ſe ipſo obſervavit Guilhelmus Fabritius Hildanus, cent. 6. obſ. 86. quod præter hunc experientiâ ſuâ ſtabiliunt Hercules Saxonia, Quercetanus, Mercurialis & alii. Hinc illi, quorum crura ulceribus rheumaticis ſcatent, plerumque à contage impunes degunt, ut præter Galenum Method. 5. c. 12. obſervavit Paræus lib. 21. c. 17. Quibus omnibus his verbis ſubſcribit Cl. Willis: *Fonticuli à cauteriis excitati adeò omnium penè ſuffragiis præſervationis gratiâ, contra peſtem uſurpantur, ut eorum uſus vulgo receptiſſimus exiſtat*, & rationem addens pergit; *hi enim conſtanti διαδοχῇ aſſiduum ſuperfluæ & excrementitiæ materiæ proventum eluttiant; & ſi qua intus admiſſa ſint peſtilentiæ miaſmata*, ſeroſæ eluviei impacta, *hâc velut portâ apertâ foràs ejiciunt.*

XXVII. E fonte pharmaceutico duplicia hauriuntur contra contagionem præſidia; Externa & interna: Externa de collo ſuſpenſa geſtantur, & vocantur amuleta, quæ ſunt vel ſuperſtitioſa, quale eſt Paracelſi Zenexton, quod ab una parte ſerpentem in gyrum convolutum, ab altera verò ſcorpionem certo quodam tempore inſculptum habet: Et illud ex decem nominibus Dei æneæ lamellæ characteribus Hebraicis inſculptis conſtans, quod ſummis laudibus effert, & totis viribus à ſuperſtitione vindicare nititur Tilemannus in comment. in aphor. Hippocr. Quæ verò & ſimilia, tanquam impia & innumeris diaboli illuſionibus expoſita, meritò proſcribimus. Vel naturalia, quæ duplici modo prodeſſe videntur, primò fortificando Archeum, deinde miaſmata peſtilentia per aërem volitantia, vel

corpo-

corporis poris leviter inhærentia, intra cellulas ſuas recipiendo & incarcerando: nam conſtat, ſicut è quovis corpore, ita quoque ex periaptis corpuſcula ἀτμοειδέα in magna quantitate inſtar denſæ nebulæ aſcendere, quæ intra aëris regionem aliis corpuſculis perpetuò occurſant & allidunt, unde, cùm diverſimodè ſint figurata, ea, quæ quoad figuram diſcrepant, repudiant, ea verò, quæ figuris eorum optimè reſpondent, in arctiſſimum amicitiæ & conjugii fœdus recepta, ſecum in illius corporis poros, unde exiere, promptè deducunt; non aliter ac ſuccinum & omnia corpora electrica, corpuſcula intra activitatis ſuæ ſphæram conſtituta arctè complectuntur: Et in hoc tota antipathiæ & ſympathiæ ratio conſiſtit. Componuntur autē hæc pentacula plerumque ex pulvere bufonum, arſenico, ☿to &c. quæ tamen venena, niſi bezoarticis benè ſint temperata, & cutis à contactu eorum munita, vi ſuâ cauſticâ corpus, præſertim à motu incaleſcens, ſæpe maximè debilitare, imò etiam exulcerare cum Zacuto Luſitano & Maſſaria teſtatur Crato epiſt. 168. Succinum periapti loco contra contagium geſtatum maximè commendat Croneburgius. Bufo exiccatus & de collo ſuſpenſus ob partium poſituram & pororum diſpoſitionem, velut uter omne virus vicinum tam feliciter excipit, ut tumefactus revixiſſe videatur: Hinc celebre eſt Helmontii Zenexton bufonium, in cordis ſcrobiculo geſtatum; ſuntque trochiſci ex pulvere bufonum & vermiculorum in oculis & naribus ejus contentorum formati, de quorum virtutibus & operandi modo, prolixè agentem vide Authorem in Tumulo peſtis, & poſt hunc Grembs. in tr. arb. integr. & ruin. lib. 2. c. 4. Item Zvvelferum in pharmacopœia Regia, pag. 140.

XXVIII. Interna ex pharmacia petita præſidia ſunt medicamenta, quibus corpus aut ab excrementitia humorum colluvie liberatur, aut contra venenum peſtilens munitur: Illud obtinetur evacuantibus; hoc verò alexipharmacis. Quoties ergò opus ſit, corpus ab humoribus excrementitiis leni medicamine, ſimul peſtilens virus infringente, purgetur, quale ſunt pilulæ Alberti Ducis Bavariæ à Quercetano deſcriptæ, Ruffi, antipeſtilentiales Cratonis, Diemerbr, ejusdemque vinum aloëticum, quod ob leptomeriam ſuam neminem ſpe ſuâ fruſtrabit. Hæc tamen & ſimilia lenientia ſine conſilio & judicio aſſumpta, quandoque lethales diarrhæas concitâſſe, cum

modo

modo laudato Autore obſervavit Grembs loco antè citato. De fortioribus catarcticis & emeticis idem, quod ſuprà de V. S. tulimus, eſto judicium. Alexipharmaca igitur creberrimi ſint uſus, quæ corpus contra hoſtem defendunt, dum, præterquam quòd ſpiritus roborent, vel (1) propter particularum figuram & motum corpuſculorum venenatorum acredinem obtundunt, maſſamque ſanguineam leviter conſtringendo, hæc ſero involuta per diaphoreſin foràs exturbant, vel (2) ob partium ſitum valde laxa copioſos obtinent poros, quibus venenata miaſmata unà cum ſeroſa colluvie imbibunt, & incarcerant; hinc ſanguis denſior factus aliorum impetus, ceu clauſis foribus, faciliùs eludit. Prioris generis ſunt omnia acida, amara & ſtiptica, ut 🜊 vini commune, ⦶ ppt. ♒ 🜖li, ⊖is, ✳ci acidus, ♀is, fructus omnes acidiuſculi, berberes, mala citria, granata, eorumque ſucci expreſſi; nuces juglandes virides conditæ, baccæ lauri, juniperi, fumus nicotianæ per fiſtulam exceptus, cutem madore perfundit, & egregium eſt contra contagium præſervativum; radices enulæ, angelicæ, dictamni albi & Cretici, gentianæ, vincetoxici, ſcorzoneræ &c. herbæ, folia & flores rutæ communis & caprariæ, abſinthii, meliſſæ, ſcordii, carduibenedicti, ſcabioſæ, hyperici, &c. atque horum condita, pulveres, & præſertim ⊖ia, eſſentiæ & olea arte chymicâ extracta: item aromata quædam & reſinæ, aloë, myrrha, cinnamomum, macis, nuciſta &c. quæ etiam particulis ſuis oleoſis veneni miaſmata acria inviſcant. Poſterioris generis ſunt varia alkalia, 🜃 ſigillata, Lemnia, bolus Armena, unicornu verum & foſſile, ebur, CC. ſ. △. & uſtum, oſſa cordis cervi, oculi ♋, corallia, perlæ, lapis bezoar. or. & occ. trochiſci de carne viperarum & ſerpentum, ♁um diaphor., fragmenta 5 lapidum pretioſorum in pulverem redacta, & id genus alia. Junctis autem viribus virulentum antagoniſtam arcent magnifica illa ex his ſimplicibus compoſita varia bezoartica & theriacalia; aceta, aquæ, balſama, elixiria, opiatæ, pulveres, ſpiritus, tincturæ &c. inter quæ primas tenent, acetum theriacale Timæi, antipeſtilentiale Hoffmanni, ▽ theriacalis Bauderonii, Riverii, opiata bezoartica Timæi, theriaca benedicta & cœleſtis, Andromachi, antidotus Matthioli, Diaſcordium Fracaſtorii, Gemmæ, confectio Orvietana, ſpiritus theriacalis benedictus, camphoratus, pulvis bezoarticus Sennerti, tinctura bezoartica D. Michaëlis, & alia, quæ videantur apud Autores; Quæ neminem, Deo benedicente,

 (cujus

(cujus auxilium ante omnia, ut ſemper, ita ſingulariter hâc dirâ ſævi-ente contage, piis votis requirendum eſt, nam

Ni Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis,
Quid te dictamnus, quid panacea juvet?)

ſpe ſuâ fruſtrabunt. Atque pauca hæc ſtylo laconico annotâſſe ſuffi-ciat. Deus omnipotens & miſericors, verus corporum & animarum Archiater, in cujus manu ſunt claves inferorum & mortis, gratiam à peccatis reſipiſcendi largam nobis concedat, quò dirum contagium, furoris ſui flagellum, effugiamus, atque etiam hac in parte nobilis Medicina non ſub praxi, ſed ſub conſiderantis acumine ſarta, tecta, laudataque ſtet, propter nominis ſui gloriam: Huic immenſo Deo, pro gratia & auxilio nunc & ſemper mihi præſtito, ſit laus, honor & gloria in omnia ſecula.

COROLLARIA.

Anima animalis eſt in ſanguine, & ipſe ſanguis eſt anima ejus. Hinc

2. *In hujus texturæ totali ruina mortis ratio formalis conſiſtit:*
3. *Cujus in homine neceſſariũ conſequens eſt mentis à cadavere ſeparatio.*
4. *Mens, quamvis corpori noſtro arctiſſimè ſit conjuncta, tamen non eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte.*
5. *Ignis eſſentia conſiſtit in motu:*
6. *In omni ſemine latet principium ſeminale ſive Archeus, qui corpus juxta certam ideam impreſſam ſibi fabricat, & omnium operum naturalium in eo eſt autor.*
7. *Spiritus univerſalis, licèt ob varia in natura phænomena exiſtat valde probabilis, illum tamen per* רוח אלהים *Gen. 1. v. 2. perperam probari aut intelligi, præter contextum & locos parallelos, participium* מרחפת *appoſitum ſolidè evincit.*
8. *Peſtis & omnes febres malignæ ſunt morbi ſolutæ unitatis.*
9. *Cremor, quorundam urinæ pinguedinis inſtar innatans, cùm tantùm diverſorum ⊖ium, alkali & acidi ſit concretio, pro ſigno colliquationis partium ſolidarum à tabe vel hectica non eſt habendus.*
10. *Dantur ſpecifica cephalica, ſtomachica &c. non tamen occulto modo agentia.*
11. *Omnium medicamentorum vis conſiſtit in varia particularum magnitudine, figura, ſitu & motu.*

Clariſſi-

Clariſſimo, Pereximio nec non Doctiſſimo

DOMINO CANDIDATO

Epiſtolâ hâc gratulatoriâ applaudebat
ex Aulâ Haſſo-Caſſellanâ. d. XI.
Febr. An. 1677.

JOHAN JACOB Waldſchmied/

Medicinæ Doctor, Archiater & Profeſſor
Ordinarius, Academiæ p. t. PRO-RECTOR &
Facultatis Medicæ Decanus.

MEdicam artem variis fuiſſe obnoxiam defectibus, & in Infantia ſua varia Juventutis commiſiſſe delicta, nemo ibit inficias, cui SENECÆ de NATURA innotuit ſententia, dicentis: INITIATOS NOS CREDIMUS. IN VESTIBULO HÆREMUS. Tantæ nempe Molis erat Medicam condere gentem: Cujus ſolidum felixq; ſtudium tam Crumenam requirit, quàm Ingenium locuples. Verum enim verò noſtrô hôc ſeculô Ars Medica adultior facta ſenilem induit Prudentiam, annoſamque præ ſe fert gravitatem, non ſine jucundo totius literati orbis ſpectaculô, maximoque ægrotantium emolumento. Diſcuſſæ ſunt Scholaſticorum nebulæ, quibus involuta facies imponebat plurimis. Reſe-

rata

rata ſunt repagula, quæ diſcentium animos vix ultra corticem admittebant, ut poſt exantlatos labores concepta ſpes ſæpius abierit in fumum, & nihi præter ſterilem quandam verboſamque ſcientiam remanſerit. Hinc miror, quod nonnulli hodierno adhuc tempore veritati ſtruant inſidias, & per cuniculos agentes neſcio quo correpti contagio credulis auribus faſtidium & nauſeam afflare conentur, quaſi Neotericorum Principia confuſionem pariant, nec pondus veterum placitis addere poſſint. Qui contra ipſius HIPPOCRATIS mentem in verbis quærunt ægrotantium ſalutem, & imaginariâ quadam Eruditione turgeſcenteque Spiritu dictaturam affectant in eos, qui ad ægri lectum morbum exactè cognoſcere, ejusque legitimam curationem inſtituere docent, omniaque etiam, quæ in Cathedra dicuntur, ad uſum vitæ humanæ referre ſatagunt. Tu, Doctiſſime Domine WINTHER, plures per annos rarô Exemplô tum Veterum tum Neotericorum evolviſti placita, ſucceſſu adeo proſperô, ut nunc oſtendas, quantum diſtent æra lupinis. Ego ex animo Tibi de novis gratulor Honoribus, tuamque Eruditionem meritò deprædico. Servet Te Deus, & per Te alios.

Cœterùm quacunq; datâ occaſione conteſtabor, me Tibi & omnibus Bonis vivere. Vale.